

## CAPUT III.

**S**Eqvitur *Elenchus Dictionis*, qui de ambiguitate saltem participat. Estq; iterum vel integræ Orationis, vel simplicis termini. Integræ Orationis vel est *compositio* vel *Divisio*, qvando vel conjungendæ voces disjunguntur vel disjungendæ conjunguntur.

*Compositio* itaq; est argumentatio captiosa, cùm male conjunguntur, qvæ separatim sunt vera, h. e. qvum ea, qvæ in majore propositione vera sunt in sensu diviso, vitiosè sumuntur in conclusione, vel etiam in minore in sensu conjuncto seu composito.

## Annotatio.

Sensus compositus vocatur, si dicas: *potest sedens stare*, h. e. potest stare sedendo, seu dum sedet. Sensus divisus, qvum sic intelligitur: *potest is, qui sedet, stare, non scilicet dum sedet, sed postea*.

## EXEMPLA.

1 *Fides sine operibus justificat:*

*Fides sine operibus, est res mortua:*

E. 2. *res mortua justificat.*

Et